

Virtute Verbi & Sacramentorum.

I.

Una numero virtus est, quâ in conversionem agit verbum, & quâ agit Ministerium per verbum, illa tamen immediata hæc mediata. II. Cor. IV. 7.

II. Vis hæc nec à verbo unquam, neque à Ministerio est separata. Ef. LV. II.

III. Nec ab impio etiam Ministerio unquam abest. Phil. I. 18.

IV. Per accidens fit, ut irrogenitus Ecclesiæ Minister per verbum minus efficaciter audientium animos moveat, quam regenitus.

V. Vis verbi Divini non est merè moralis, in persuasionem consistens, I. Cor. II. 4. 13. sed simul physica, sive physicæ analogæ, movens animum vi internâ & omni humanâ virtute superiore. Hebr. IV. 12.

VI. Cum DEUS ipse & ejus verbum propriè convertat, illuminet, peccata remittat, nec hæc tantum declaret, idem & Ministerium facere, ultrò intelligitur. Joh. XX. 23. I. Cor. III. 5.

VII. Eandem cum verbo virtutem & Sacramenta habent, quæ præterea & gratiam collatam confirmant. Rom. IV. II.

VIII. Verbum & Sacramenta non sunt nuda instrumenta, multò minus talia instrumenta, quæ ultra nativam suam virtutem, ut operari possint, elevanda sunt.

IX. DEUS nemini Spiritum & gratiam suam largitur, nisi per verbum: non ante verbum vel post verbum. Articuli Smalkaldici.

X. Non imprimitur per Sacramenta character indelebilis.

XI. Duo tantum sunt Sacramenta N. T. propriissime dicta, I. Joh. V. 8.